

abjiciendos esse, Synodo Turonensi II. seculo sexto, his verbis decretum est: *Licet hymnos Ambrosianos habeamus in Canone, tamen, quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, præter ea, quorum auctorum nomina non fuerunt in limine prænotata: quoniam, quæ fide constiterint, dicendi ratione non obstant.* (n) Quin & apud majores nostros, ex quo tempore Christianæ religioni nomen dederunt, Odas, quibus utuntur in sacris, patrio sermone tum conditas, tum receptas fuisse, ostendunt hymnaria Francica, Anglo-Saxonica, & alia, quæ, ex catalogo MStorum F. Junii, recenset TENZELIUS (o) idemque multis, quæ ante Lutherum usitatæ fuerunt, utpote: *Ein Kindelein so löblich. it: Christ ist erstanden*; aliisque exemplis probari potest. Certe priorem illum quingentis abhinc seculis in Ecclesia usitatum fuisse, VAL. HERBERGERVS testatur. (p)

§. V. Interim, quales & quanti sunt ii, qui ab hominibus proficiscuntur, videndum est. Nec enim promiscue omnes recipi in Ecclesiam debent, sed qui Spiritum, Spiritusque Scripturam, sapiunt, qui devotionem excitant, & mentes afficiunt, qui gravitatem præstant, & decorum observant, qui ad ædificationem faciunt, & verecundiam tenent, qui denique ad Psalmorum divinorum indolem proxime accedunt. Satis enim Psalmorum, satis Hymnorum, satis Odarum, in Ecclesia habemus. Cumque Israëliticus populus centum & quinquaginta Psalmis per tot secula se sustentare potuerit, qui deceat, in iisdem, ne nunc quidem, acquiescere velle, ubi ad eosdem tam

E

multi

(n) *Can. XXIII. ap. Coriol. p. 594.* (o) *in colloqu. menstr. citatis a S. Ven. Schmidio in Diss. de modo prop. relig. per carm. §. 24.* (p) *Vid. Trauerb. P. I. p. 87. ed. Lips. 1614. 4. Conf. Luth. Hauß-Postill, ed. Wittenb. 1556. f. m. 30.*